

rando. Unde Rodriguez tres ponit gradus hujus perfectionis, seu perfecti amoris. RODRIG., p. I, t. III, c. xiv. Primus est, ut omni affectu erga terrena exuto, in solo Dei beneplacito quiescat, dicereque possit cum Esther: Tu scis, Domine, quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, usque in præsentem diem, nisi in te, Domine Deus Abraham. ESTHER., xiv, 22. Minus enim te amat, teste S. Augustino, qui aliquid amat, quod propter te non amat. Secundus est, ut etiam erga seipsum omnem amorem exuat, seque non nisi in Deo, et propter Deum amet: id enim Christus insinnavit, dum dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me. LUC., ix, 21. Tertius est, ut operetur, non ut ipse Deo placeat, sed quia placet ipsi Deus, vel quia placet Deo, quod operatur; ita ut, quemadmodum S. Bernardus loquitur, delectet non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis, et de nobis voluntas adimpleta videatur. Quem gradum extollens idem Sanctus, o amor sanctus, exclamavit, et castus! o dulcis et suavis affectio! o pura et defæcata intentio voluntatis, eo sane defæcator et purior, quo in ea nihil de proprio jam admixtum relinquitur: eo suavior et dulcior, quo totum divinum est, quod sentitur! Sic affici, deificari est. S. BERN., de Dil. Deo.

Alterum est, ut meminerit, non omnes ad hanc summam perfectionem sectandam vocatos esse, atque adeo etiam non promiscue hortetur ad illam, aut inducat, sed potius saluberrimæ doctrinæ a S. Gregorio prolata sit memor: Mons, inquit, altitudinem virtutum designat, ad quam Angelus hortatur: qui non viderit, se posse ascendere, melius etsi, ut in Segor, id est, in parvula civitate remaneat, contentus laicali, et communi vita, quam montem virtutis arripiat, et ad sæcularia redeat. « Est civitas hæc juxta, » etc. juxta dicitur, et tamen ad salutem tuta, quia activa vita est, nec a mundi curis ex toto discretæ, nec a gaudio salutis æternæ aliena. S. GREG., in Gen., xix.

Tertium est, ut sciat perfectionem non in asperitatibus corporis, aut aliis similibus rebus et exercitiis sitam esse, ut interdum aliqui falso sibi persuadent, sed hæc media dumtaxat esse ad perfectionem, uti recte Abbas Moses apud Cassianum advertit, di-

cens: Jejunia, vigiliae, meditatio Scripturarum, nuditas ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis constitit disciplinæ finis, sed per illa pervenitur ad finem. In COLL. PP., coll. v.

Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, nunquam se veram quietem possessurum, nisi perfectionem, ad quam vocatus est, assequi sincere studeat; nam, ut sapienter Abbas Joannes dixit, miserum et cujuslibet artis ac studii disciplinam quampiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime pervenire. ABBAS JOAN., in sua Coll.

Quintum est, ut ordinate ad perfectionem tendendum meminerit; nam, ut recte advertit Sanct. Bernardus; Nemo repente sit sumus, et ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scale. S. BERN., s. I, de S. And. Quod confirmans sanct. Laurentius Justin. Quisquis, ait, in spirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, juxta Prophetam admonitionem, ascensionis sibi in corde spirituales componat gradus, per quos de virtute in virtutem proficiens, ipsum Deum ex parte comprehendere valeat, a quoplenissime comprehensus est. S. LAUR. JUST., in Proem., de Grad. perf.

Sextum est, ut non concidat animos, si interdum in perfectionis studio languere, aut omnino cadere advertat, sed potius novas vires, et servorem assumat meminereque sententiæ a S. Hieronymo prolatae: Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas. S. HIER., in Epist. ad Ctesiph. Cui etiam S. Augustinus adsupulans: Semper inquit, tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris: sufficit, et peristi. Hinc ait, Apostolum prius suam imperfectionem confessum esse, et postea se perfectum dixisse, quia ipsa est perfectio hominis, invenisse se non esse perfectum. S. AUG., s. XIII, de Ver. Apostol.

Septimum est, ut non statim perfectum se esse judicet, si nullius aut certe non multarum imperfectionum aut culparum sit conscius; nam, ut sapienter S. Gregorius dixit. Plerumque hi, quos jam perfectos homines æstimant, adhuc in oculis summi Opificis aliquid habent imperfectionis. Sic sæpe imperiti homines nedum perfecte sculpta sigilla conspiciamus, et jam quasi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc Arti-

fex considerat, et limat: laudari jam audit, et tamen ea tandem meliorare non desinit. S. GREG., l. IV, Dial.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Crates impossibile esse dicebat quemquam inveniri, qui nunquam lapsus est, sed veluti in malo punico granum quoque aliquid putrescere. LAERT., ap. Langium.

Rex Theodoricus dicere solebat: Culpæ genus est, non te fecisse, quod summum est. CASSIOD., l. V, ep. v.

Recte quoque Sanct. Ambrosius: Imitatores, inquit, sui nos voluit Deus, ut prius faciamus aliqua, postea venustemus, et semper venustemus magis ac magis. S. AMB., l. I, Hex., c. vii.

Galenus dicere solebat: Cuique curandum, ut aliquando vivat continentius, et melius hodie, quam heri. GALEN., l. V, de Cur. morb.

Pulchre etiam Plutarchus: Maceriam aliquam, inquit, aut sepe conficientibus, nihil refert, obvium quodque lignum, aut lapidem humi jacentem adhibere, aut columnam a monumento delapsam subjicere; quomodo, et homines vitiosi omnia facta promiscue, omnes temere actiones congerunt, et coæcervant. At qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ veluti regii et sacri ædificii jactum est aureum fundamentum, nihil eorum, quæ temere aguntur admittunt, sed veluti amussi rationis aptant singula, atque concinnant. Quo de ædificio usurpari potest Polycteti dictum, qui difficilimum opus eos tractare pronuntiavit, quibus lutum est ad unguem exigendum. PLUTARCH., de Cognosc. projectu.

DIGNITAS. — Nihil est similis, et gratiosius Deo, quam vir animo perfectus bono, qui in tantum homines cæteros antecellit, quantum ipse a diis immortalibus antecellitur. LUCIUS APULEIUS, de Deo Socrates.

## AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, de Perfect. christiana.

Ludovicus de Ponte, de Perfect. Tomis quatuor.

Lucas Pinellus, de Perfect. christ.

Bernardinus Rosignolius, de Disciplina christ. perfect.

Nicolaus Lancizius, opusc. iii, cap. x, et opusc. x, tolo.

Ludovicus Granat., in Loc. comm., f. 144.

Matthias Faber, conc. ii, in Fer. 3 Pent., et conc. v, in Dom. 4 post Pent.

Josephus Langius, in Polyanth. V. eod.

## PERSEVERANTIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua in bonis operibus ad finem usque persistimus, et molestiam ex rei laboriosæ diuturnitate proveniente superamus. Unde differt a constantia, quod hæc difficultates aliunde, quam a diuturnitate provenientes superet. JAC. ALV., t. II, l. III, p. II, c. ix, § 7.

DIVISIO. — Dividitur plerumque in « finalem, » et non « finalem. » Finalis est, qua quis ad mortem usque perseverat in bonorum operum exercitio, sine qua nemo salvari potest, uti ipse Christus indicavit, dum dixit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. MATH. x, 23. Non finalis est, qua quis ad tempus tantum aliquod, vel in particularibus quibusdam virtutum exercitiis ad finem illarum perseverat, de qua potissimum hoc loco agitur; nam prior est speciale Dei donum, quam electis suis Deus ex singulari prædestinationis favore conferre solet.

ACTUS. — Pericula cadendi, et in virtute perseverantiæ deficiendi, sagaciter indagare, et salubribus contra illa mediis se præmunire.

Seipsum variis motivis ad perseverandum exstimulare, maxime efficaci illo, et a S. Bernardo aliusque frequenter usitato stimulo: Ad quid venisti? Item illo a continentia erga S. Augustinum usurpato: Potnerunt isti, et istæ, et tu non poteris?

A lapsu, si forte per frugalitatem is contingat, cito resurgere; hoc enim, ut recte advertunt Theologi et Ascetæ, est unum ex mediis, quibus Deus ad prædestina-

tionem hominis executioni mandandam utitur.

Amorem vitæ, timorem mortis, minasque, ac promissa generose contemnere; ob hæc enim plerumque a perseverantia deflectunt homines.

GRADUS. — Tres assignantur, teste P. Jeremia Drexelio. Primus est, velle ac cupere perseverare: virtutis quippe cultor seipsum exstimulans, cur, inquit, tam stultus sim, ut, cum cœperim spiritu, consummum carne. Nolo esse arundo ventis agitata: nolo mutari cum luna. In *Rosis Mar.*, p. I, c. XII, § 4.

Secundus est, firmiter velle, quod recte cœptum est, seseque cunctis obstaculis acriter opponere: perseverantia, quippe cupidus cum S. Paulo exclamat: Omnia possum in eo, qui me confortat. *PHILIP.*, IV, 13.

Tertius est, cum gaudio perdurare usque ad finem: nam fatigationem quies, labore sequitur merces. Sic igitur curramus, ut comprehendamus.

#### EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. *GAL.*, V, 7.

In disciplina perseverate. *HEB.*, XII, 7.  
Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar, donec deficiant. *PSAL.* XVII, 38.

Statuit super petram pedes meos, et direxit gressus meos. *PS.* XXXIX, 3.

Querite Dominum, et confirmamini: querite faciem ejus semper. *PS.* CIV, 4.

Homo sanctus in sapientia manet, sicut sol, stultus sicut luna mutatur. *ECCL.*, XXVII, 12.

Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. *I COR.*, VII, 20.

Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem: et contemplanbor, ut videam, quid dicatur mihi; et quid respondeam ad arguentem me. *HABAC.*, II, 4.

Sta in testamento tuo (id est, pacto, quod cum Deo iniivisti, addicens te ejus servituti) et in illo colloquere (id est, de illo in animo tuo tracta, cogitans quid illud a se requirat,

et quomodo id observes;) et in opere mandatorum tuorum veterasce. Ne manseris in operibus peccatorum: confide autem in Deo, et mane in loco tuo. *ECCL.*, XI, 42.

Cupimus unumquemque vestrum eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei usque ad finem: ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *HEB.*, VI, 11.

Ego te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. *JOAN.*, XVII, 4.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. *JOAN.*, IV, 34.

Fratres nolite deficere beneficientes. *II THESS.*, III, 13.

NECESSITAS. — Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. *LUC.*, IX, 62.

Væ his, qui perdidierunt sustentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et divertent in vias pravas. Quid facietis, cum inspicere cœperit Deus? *ECCL.*, I, 16.

Qui perseveraverit, usque in finem, hic salvus erit. *MATTH.*, X, 23.

Nescitis, quod il, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis *I COR.*, IX, 24.

Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. *JOAN.*, II, 8.

Memor esto, unde excideris, et age penitentiam, et prima opera fac: sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris. *AP.*, II, 3.

UTILITAS. — Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vite. *AP.*, II, 10.

Qui vicerit, et custodierit usque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas signi confringentur. *IB.*, 26.

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. *I COR.*, XV, 53.

Bonum facientes non deficiamus, tem-

pore enim suo metemus non deficientes. *GALAT.*, VI, 9.

Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. *LUC.*, XXII, 28.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servari: in reliquo reposito est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. *II TIM.*, IV, 7.

Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo. *TOB.*, II, 18.

DIGNITAS. — Participes Christi effecti sumus, tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus. *HEB.*, III, 14.

Manete in dilectione mea. Si mea præcepta servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. *JOB.*, XV, 10.

Ecce venio cito: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei. *AP.*, III, 11.

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. *AP.*, III, 21.

#### EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Bonam vitam ego puto, mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. *S. BERN.*, in s. II in *vig. SS. Petri et Pauli*.

Non queruntur in Christianis initia, sed finis et perseverantia. Paulus male cœpit, sed bene finivit. Judæe laudantur exordia, sed finis proditiōne damnatur. *S. HIER.*, I, I, *contr. Jov.*

Vidit Jacob Deum in summitate scalæ, non in ejus fine vel medio, ut intelligeremus, non sufficere bene cœpisse, sed bene consummasse. *IB.*, in *ep. x ad Fur.*

Spes omnes nostræ in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si fata viridantia herbis spem messis offendant et me sub ipso falsis tempore, subita vel

aeris intemperie, vel pluviarum inundatione decipiant. *EUSEB.*, *hom. v. ad Mon.*

Non est magnum inchoare, quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. *S. AUG.*

In quo vocatus es opere, firma anchoras et funes, ne in pelagus navis tua paulatim impellatur, et tunc docebit te experientia, quali pace in portu constitutus fueris. *S. EPHR.*, *adhort. IV.*

Neminem audiamus, non carnem et sanguinem, non spiritum quemlibet descensum a cruce suadentem. Perstiamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoria. *S. BER.*, s. I, in *Parasc.*

Sicut caput nostrum pro peccatis nostris acerbiter sustinens passionis usque ad consummationem, id est, usque ad perfectionem omnium Scripturarum, quæ de ipso erant, perseveravit patienter; ita et nos, si hujus capitis membra esse volumus, in omnibus adversitatibus nostris virtutem perseverantia conservemus, ut in fine confidenter dicere possimus: Consummatum est. *IDEM, de Pass. c. XIV.*

Seraphicus Bonaventura ait: Obedientia semem recipit, patientia fructificat, perseverantia meli. *IN PS.* LXXVII.

Credere vere, est credere inconcuse, firme stabiliter, fortiter, ut jam ad propria non redeas et Christum relinquant. *ARG.*, tr. CVI, in *Joan.*

Fides vera non est, si non sit perpetua, sed possit deficere. *AMB.*, l. c. II *ad Cor.*

Quicquid necessitate fit, cito solvitur, quod voluntate arripitur, perseverat. *HIER.*, et *hab. XVI, quest. II, vos aut.*

NECESSITAS. — Omnes virtutes absque perseverantia contra vitia pugnare possunt, sed sine perseverantia omnino vincere non possunt, Domino dicente: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » *S. BER.*, t. II, s. LXVI, a. I, c. III.

Admonendi sunt, qui inchoata bona minime consummant, ut cauta circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt. *S. GREG.*, III, *Past.*, c. XXXV.

Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? ideo Paulus aiebat: Sic currite, ut comprehendatis. Ibi, tu Christiane, fige tui cursus, profectusque metam ubi Christus posuit suam. Factus est, inquit,

obediens usque ad mortem non perveneris, bravium non prehendes. S. BERN., ep. cclliii.

Incausum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; quia frustra velociter currit, qui prius, quam ad metas venerit, deficit. S. GREG., l. I, *Moral.*

Absque perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur: vigor virium, virtutum consummatio est. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. S. BERN., in ep. cxxxix.

Recte inchoare, et non consummare recte monstri portentique est simile, cum enim sic agitur, humano capiti cervicem pictor equinam jungit. S. HIER. et S. AUG., ser. viii, ad *FF. in Er.*

David non ait, clamo, sed clamavi de profundis, dans in hoc perseverantiam documentum, ut si primo non exaudiris, ab oratione non deficias, immo precibus et clamore insistas. Vult Deus rogari, vult importunitate quadam vinci. Ideo tibi dicitur: Regnum celorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. S. GREG., in vi *Ps. penit.*

Alacriter incumbendum est inchoatis, cum vicinitas perfectionis affuerit, spes affectus, tedium laboris excludit. Magnum genus inclementis est, credere desiderata compleri. CASSIOD., V, ep. xv.

UTILITAS. — Scias diabolus soli perseverantiam invidere, quam solum novit a Domino coronari. S. BERN., in ep.

Uxor Loth respiciens retro, in statuam salis conversa est. Quid est hoc, inquit S. Augustinus? et respondet: Salis condire est, et res conservare. Vult igitur Dominus nos meminisse uxoris Loth, et dum, quid ipsi e venerit, mente evolvimus, a simili infortunio nobis diligenter caveamus, et hac cogitatione velut sale conditi, prosequamur ceptum iter nostrum, nec oculos reflectamus, nec nos quoque similem exitum malo nostro experiamur. S. AUG.

Hinc Joseph, qui inter fratres usque in finem justus perseverasse describitur, solus talarum tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Bene igitur cepta cunctis diebus agenda sunt, ut cum malum agendo repellitur, ipsa boni victoria constantiam manu teneatur. S. GREG., l. I, *Mor.* c. xx.

Perseverantia et stabilitas in operatione

patenter ostendit, operantem in Electorum numero computandum, ac virtute perseverantiam esse redimitam; solum non perseverasse, est amissis coronam. S. LAUR. JUST., de *Lign. vit.*, c. iv.

Perseverantia filia singularis est summi Regis, finis virtutum, earumque consummatio, sine qua neque qui pugnat, victoriam nec victor palmam consequitur. *IBID.*, c. ii.

Perseverantia sola est, cui æternitas redditur, vel potius, quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. » *IBIDEM.*

Felix, et omni dignus beatitudine, quem extrema dies Christo occupat servientem, quem Salvatori militantem invenit: « Qui non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. » S. HIER., ep. xxxiv.

Esto in penitentia firmiter confirmatus, vitam bonam, quam cepisti tenere, non deseras, propositum bonæ vitæ conserva jugiter, beatus eris, si permanseris; beatus, si perseveraveris. Salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur: « Beati qui custodiunt iudicium, et faciunt justitiam in omni tempore. » Non est beatus, qui bonum fecit, sed qui bonum incessabiliter facit. S. ISID., l. I, *Synod. in fine.*

Perseverantia victrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimittatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. S. BERN., *ibid.*

Perseverantia impetrat, quod vult, unde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, ut panem, si perseveraverit pulsans, obtineat, etsi non dabit, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit, quod quod habet necessarios; si enim homo perseveranter petenti dat ex tædio, multo magis Deus qui sine tædio largissime donat, quod petitur, perseveranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perseverantibus in prece, qui ut gratis tribuat nobis, hortatur, ut petamus? S. LAUR. JUST., de *Vit.* c. ii.

Bonam vitam ego puto, mala pati et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. BERN., in *serm.*

DIGNITAS. — Magis Deo propinqua similitudo est, in qua animus virtutis magnitudine, summi boni quasi gestat magnitudinem; et perseverantiam in bono constantiam, æternitatis ejus incommutabilitatem. Et hæc est similitudo in tantum propria, ut non jam

similitudo, sed unitas spiritus nominetur, cum sit homo unus cum Deo spiritus, non tantum virtute volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis, aliud velle non valendi, S. BERN., de *Vit. solit.* c. xxvi.

Cœpisse, multorum est; ad culmen pervenisse, paucorum. S. HIER.

fortiter in bello, nec inferamus crimen glorie nostræ, ut fugiamus a cruce. L. III, c. lvi, § 5.

#### EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus de seipso dixit: Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. JOAN., xvii, 4. Et in cruce dixit: Consummatum est. JOAN., xix, 28. Sed et S. Bernardus de eo dixit: Descendat, si Rex Israel est; immo vero quia Rex Israel est, titulum regni non deserat; cum enim salvus esse non poterit, nisi qui perseveravit usque in finem, quanto minus poterit esse Salvator. S. BERN., in *die Parascev.* Aditque S. Thomas: Si de Cruce descenderet, virtutem nobis patientiæ usque in finem non demonstrasset. S. THOM., in *Matt.*, c. xxvii.

Nehemias Jerosolymitanam civitatem revolvans, etsi undique se opponeret adversarii, et qua contumeliis, qua insidiis, qua vi, et dolo impedire cum molirentur, invitatus tamen in opere persistebat; immo et ad frædus inendum vocatus dicebat: Opus grande ego facio, et non possum descendere ne forte negligatur, cum venero, et descendero ad vos. II ESRAE, vi, 3.

Elezarus unus de Primoribus Scribarum ad carnes manducandas compulsus, cogitare cepit ætatis ac senectutis sue eminentiam dignam, ingenitæ nobilitatis cantem, atque a puero optima conversationis actus, et secundum sanctæ et a Deo conditæ legis constituta respondit, præmitti se velle in infernum, quam carnes illicitas manducare. II MACC., vi, 23.

S. Tobias cum ab infantia timuerit Deum, et mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod paga cæcitas e venerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vite suæ. *IBID.*, c. ii.

Matthias Princeps clarissimus, et magnus in civitate Jerosolyma ad immolandum diis a ministris Antiochi sollicitatus, intrepide respondit: Etsi omnes Gentes Regi Antiocho obediant, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiant mandatis ejus, ego et filii mei, et fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus, non est no-

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Multi sequuntur Jesum usque ad fractionem panis, sed pauci usque ad bibendum calicem passionis. Multi illum laudant et benedicunt, quando consolationes aliquas ab ipso percipiunt. Si autem Jesus absconderit, et modicum eos reliquerit, aut in quærimoniâ, vel in dejectionem nimiam cadunt. Qui autem Jesum propter Jesum, et non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt ipsum in omni tribulatione, et angustia cordis, sicut in summa consolatione benedicunt. L. II, c. xi, § 1 et 2.

Erubescere Sidon, ait mare, et si causam quærâs, audi quare. Pro modica præbenda longa via curritur, pro æterna vita a multis vix pes semel a terra levatur. Pro vana re et parva promissione die nocteque fatigari non timetur, sed proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inestimabili, pro summo honore, et gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur. Erubescere ergo, serve piger et querulose, quod illi paratioribus inveniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam. Equidem a spe sua nonnumquam frustantur, sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi, dabo; quod dixi, implebo, si tamen usque in finem fidelis in dilectione mea quis permanserit. L. II, c. iii, § 2 et 3.

Ubi est fides tua? Sta firmiter, et perseveranter. Esto longanimis, et vir fortis, veniet tibi consolatio in tempore suo. L. III, c. x, § 2.

Eia, fratres, pergamus simul, Jesus erit nobiscum. Propter Jesum suscepimus hanc crucem, propter Jesum perseveremus in cruce. Inceptum est, retro abire non licet, nec relinquere oportet. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores, sinus parati mori

bis utiles, relinquere legem et justitias Dei. I MACH., II, 19.

Joseph Patriarcha unum habebat propositum placere Deo, hoc nulla temporis varietate immutatum est, nec fratrum invidia, nec conditione servitutis, nec ætatis illecebris, nec dominæ repromissis, nec squalore carceris, nec postea tumore Egyptiæ potestatis, sed semper unus fuit, et varietatem temporum redimens malos dies vertit in bonos. S. GIER., I. III c. v.

Hoc idem et de Job sentiendum est, quod per varia tentamenta vexatus, nec divitiis, nec damnis, nec orbitate, nec vulnere, nec exprobratione amicorum, nec sollicitudine, nec postea bonorum omnium restitutione mutatus est. *IBID.*

Quis fortior Paulo! quis beator? Ille tamen vas electionis Dominicæ, non ante sibi coronam vindicavit, quam certamen omne consummaretur, ideoque ait: certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. S. AMBR., *Ehort. ad Virg.*

Siméon Susonionis filius tredecim annos natus, cum ad Monasterium Timothei abbas admitti petens repulsam tulisset, quinque diebus et noctibus sine cibo et potu perseveravit, mori ibidem paratus, nisi quinta die receptus fuisset. MARULUS., I. V, c. viii.

In Mexico vir impudens constantis pudicitie feminam aggressus, cum nec promissis, nec minis eam expugnare potuisset, tandem solitariam inventam apprehensam capillis humi raptare, pugnis cadere, pedibus conculcare, et arbori alligatam verberibus crudeliter excipere ausus est, sed illa invicta animo, malo, inquebat, vitam potius per quosvis cruciatum, quam pudicitie florem amittere: amisissetque, ni Deus in tempore auxilium, id est, qui suo adventu nefarium proci consilium turbaverunt, submisisset. DREX., in *Ros. mar.* p. I, c. xv, § 4.

In Anglia anno millesimo quingentesimo nonagesimo, vir simplex et pius, Georgius nomine, eo quod annis compluribus, Catholicis latentibus operam et obsequia sua detulisset, mulctæ loco in pistrinum detrusus, molam trusatilem circumagebat, sed ita ut omnibus diebus festis B. Virginii sacris, nec promissis, nec minis, nec verberibus, nec longa inedia adigi ad talem laborem potuerit, unde constantiam ejus (quam amentiam interpretabantur) videntes domestici, lacessere cessarunt. *IBID.*

Frater quidam quotidie tollebat pelliculam, in qua jacebat solus, ut extret e fratrum Congregatione. Et quando vesper advenit, dicebat sibi tempestas: Crastina die hinc recedam: mane autem appropinquante dicebat: Extorquebo mihi hic stare et hodie propter Dominum. Quo modo cum implesset annos novem, abstulit ab eo Dominus omnem tentationem. *Vit. PP.*, lib. ix.

S. Philippus Nerius tantus fuit perseverantiæ amicus, et cultor, ut, postquam voluntatem Dei esse cognovisset, ut Romæ manens, bono spirituali publico illius urbis deserviret, ibidem sexaginta annis firmiter permanserit, absque eo, quod unquam inde egressus fuerit, præterquam ad visitandas septem basilicas, ac proinde jure dicere potuit: Justificationem quam cepi tenere, nunquam deserui. Suis quoque illud passim insinuando repetebat: Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. *Vit. S. Ph. Ner.*, I. II, c. XXI, n. 5.

Qui fortitudinis numeros omnes exprinxerit, heros ille mihi, Christophorus Columbus occurrit, cujus nomen, dum stabit hæc rerum machina, quænam obliterabit vetustas? Id perseverantia factum est, qua per annos plures superbo aulicorum fastidio rejectus, atque pro insano facere creditus, quod novum orbem audientibus polliceretur, Anglicanam, Lusitanicam, et Castellanam aulas diu, ac frustra fatigavit. Sed vici perseverando, ipsaque repulsæ nobili patientia Isabellam Reginam a condito ævo sapientissimam perpulit, ut levi Caravellarum (myoparonum id genus est) periculo, promissorum fidem vellet experiri. Idem, quamquam post primam navigationem, temporis vitio res essent implicatissimæ, navigare tamen, ac nova littora per ignota maria posteris aperire perseveravit, nulla laborum intermissione, donec quarto in Hispanias reversus, in ipso novarum rerum molimine, fato extinctus est, gloriæ immortalitate omnibus omnium seculorum heroicis anteleferendus. *JOAN. RHO.*, I. VI, c. vii, n. 1.

Qua die de Mauris capta est Ceptua urbs, hærentibus proceribus, atque ob formidolosos hostium in propinquo vires in ejus præsidio futuros se negantibus, unus Didacus Menesius inventus est, qui Regi operam suam deferret, Maurosque scipione, quem in manibus haberet, abacturum se polliceretur. Audax dictum, et pugnacis animi nobilem

impetum perseverantia nobilitavit. Duodeviginti, quibus eo in præsidio superfuit, annis, ut Mauro semper imminenti occurrere semper promptus esset, humeris contextam loriam nunquam exiit, ut illa instar vestis jam sponte in scruta decideret. Plus quam ferrea homini fuit perseverantia, cui ferrea fatiscens lorica, vis illa indomiti animi perseveravit; sed gloriæ aurum nullo nisi ferro emittit perseverantia. *IB.*, n. 3.

Triennalis Ostendæ obsidio, merito Alberto Austriaco Belgii domino, debetur, in qua sæpius periculo propiores fuisse legimus, qui vicerunt. Sed quamvis senescente militum, centurionum, ac tribunorum virtute, absumptisque copiis, abundi consilia non modo ut honesta agitentur, verum ut necessario urgentur, perseverandum tamen duxit Albertus, et vicit Nam mala, quæ tempus invehit, tempore mitigata vincuntur; cum idem venenum sit, et antidotum. *IB.*, n. 4.

Stetit olim Mariæ Velæ Virginii Hispanæ sententia, ut, quoties precationis, quam sibi privata pietate præscripserat, appeteret hora, toties alla ad materem, apud quam eodem Virginum Collegio fuerat Religione educata modeste adiret, et rogaret, si quid se vellet, solemnibus verbis: Quid jubes domina? Id illa animum induxerat facere, memor laudatissimæ Pauli vocis, qua se Deo, utcumque placuisset, fingendum, nulla exceptione, permisit, dicens: « Domine, quid me vis facere? » Rem ut meditantem facilem, sic experientem difficillimam, cum sæpe cursandum per domum esset, et sæpius veniret in mentem, operam ludi: satis jam constituto orationis tempore, tenuit tamen constantissime decennio toto, nec nisi materteræ morte finita ea est, obedientiæ ac modestiæ exercitatio. *IB.* n. 7.

Joannes Tellerius Ordinis Minimorum, haustæ a puero in Udeo canendi Deo disciplina ad miraculum usque erat retinentissimus. Quamquam enim tum Magistratibus plurimis, tum etiam supremo seculorum honore olim occupatus, supra octogesimam ageret ætatem, consuetas canendi vigiliis nunquam omisit, et quandiu vita superfuit, a divinis laudibus nunquam abfuit; quod et suis admirationi fuit, et omnibus exemplo erit, ne Magistratus aut ætatis excusatione usi, ea studia intermittant in quibus mori decorum est. Vera virtus non nisi ad metam mortis adjungit. *IB.*, n. 9.

Antonius cum primum solitudinem inhabitare decreverat, ne verberibus quidem dæmonum absterri potuit quin quod ceperat, persequi pergeret. Perseverantiaque ita ab octavo decimo ætatis suæ anno usque ad centesimum quintum, quo in Domino quievit, cui servierat, Angelorum sortitus gloriam, quia in perseverando dæmonum contemperat injurias. *MAR.*, I. V.

Paulus primus post Christum eremi cultor, sic Deo serviens perduravit, ut a decimo sexto ætatis suæ anno, quo solus desertum adit usque ad centesimum et decimum tertium annum quo vita defunctus est. *IB.*, *lib.*

Nathanael Anachoreta semper clausus vixit, Episcopos ad se venientes reverenter excepit, abentes ad limen usque officii gratia prosequutus est. Nemo ut inde pedem efferret callidi diaboli evocatione induci potuit, sique septem et triginta perseverans annos elatus inde non egressus est, et corpus pariter cellamque reliquens in consortium receptus est beatorum. *IBID.*

Elpidius Abbas per quinque et viginti annos nunquam se ad Occidentem vertit, semper fere orans et illum cui nomen Oriens, jugiter contemplans. Non putavit nefas esse retro aspiciere, sed sibi voluit imperare, ut cum corporis appetitum ab eis etiam quæ licita erant refrænasset, facilius ab illicitis custodiret. *IBID.*

UTILITAS. — Noe totis centum annis, quibus arcam ædificavit, licet varie illusus a vicinis, et contribulibus suis, nequaquam tamen ab opere destitit; hinc solus cum uxore ei filii salvari meruit. *GEN.*, c. vi.

Turba, quæ triduo Christum secuta est, meruit, ut Christus de ea diceret: Misereor super turbam, quia ecce jam triduo perseverant mecum, et non habent, quod manducet, et dimittere eos nolo, ne deficiant in via. Statimque tam liberaliter pavit, ut non saturati tantum sint, sed etiam duodecim cophini ex reliquiis impleti sint. *MATT.*, xiv, 32.

Senex quidam a juvene Monacho visitatus, cum expectare eum jussisset, et ipse interea obdormivisset septem postea insingens coronas eidem Monacho preparatas vidit ob septemplicem coronam, quam propter septem tentationes, quibus ad somnum incitabatur, generose superatas promeruit. *PETRUS SANCH.*, in *Regn. Dei*, p. VII, c. ix.

SS. Lupicinus, et Romanus cum eremum

inhabitare volentes, a dæmonibus magno tumultu excitato, lapidibusque in eos projectis, recessissent, et apud honestam matronam divertissent, hæc ubi, quid ipsi in eremo accidisset, intellexit, ad perseverantiam eos adhortata est, illam S. Scripturæ sententiam in memoriam revocans: Resistite diabolo, et fugiet a vobis. Qua adhortatione animati in eremum sunt reversi, et constanter ibi permanserunt. IBID.

S. Eulogius cum ægrum in platea repositum in domum suam deportasset, eique tempore sat longo magna cum diligentia et charitate inservisset, tandem post annos quindecim in tanto servitio exactos cum pessime ab eo tractaretur, eumque ideo ad S. Antonium duceret, ab hoc uterque ad perseverantiam animatus, ad domum suam cum festinatione redierunt, et Eulogius quidem post dies quadraginta, leprosus vero triduo post in Domino quieverunt. PALLAD., in Vit. xxvi.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius in rebus arduis urgendis constantissimus erat. Causæ hujus constantiæ erant, quod ante, quam quidquam aggrediretur, omnia circumspiciebat, et examinabat. Deinde quia multum orabat, lacrymis gratiam a Deo petens, unde sæpe voluntatem divinam divinitus intelligebat, non si nens se ab ea evelli. Denique quia viros peritissimos, quorum curæ res commissæ erant, consulabat. Idem si quæ negotia in certum diem destinasset nulla tempestate, nulla difficultate ab eorum expeditione ad constitutum tempus impediri se permittebat. In adeundis viris Principibus cunctas aulæ molestias alacritate mirabiliter devorabat, semel aditu exclusus, commodam admissionem horas ipsas quatuordecim jejuniæ expectabat. Si quid semel bene perspecta, consiliarisque adhibitis, decrevisset, non facile cedebat. Hinc Julius III, festivo Princeps monebat, ne cum Ignatio contenderent, ni victi vellent discedere, videlicet ob ejus in rebus agendis constantiam, et fortitudinem. Miram illius in edificando Collegio Germanico constantiam, fusus apud Orlandinum lococitato videreest. RIBAD., l. V. Vit. vi, n. 9.

S. Franciscus Xaverius licet Meliaporæ

in templo ita a dæmonibus cæsus sit, ut triduo decumbendum fuerit, persistebat tamen in oratione, invocans, B. Virginem, et statim ubi convaluit in templum rediit, qua constantia fracti dæmones nihil ausi fuerunt, nisi quod Monachorum more in Choro quasi Matutinum recitarent. Hist. Soc., l. XII, n. 9; Vit. l. II, c. xv. Ejusdem miram in itinere ad Mauricienses, et Japoniam suscipiendo constantiam, quisquis apud Tursellinum in ejus vita legerit, admirabitur profecto, potuisse reperiri hominem, qui contra tot difficultates ex omni omnino parte occurrentes, totque virorum sapientissimorum, et amicorum dehortationes in eo consilio immotus persistere, tam feliciter ad optatum exitum perducere poterit. Vit., l. III, c. ii et xvii.

P. Petrus Faber in adeundis viris Principibus, in excubando præ illorum foribus pro Dei gloria amplificanda constantissimus erat. Imo semel juvenem ex conducto ad confessionem venturum sex horis expectavit, cumque temporis jacturam ægrius ferret, mire a Deo illustratus est, secum ipse enim mox ratiocinans, si tu, inquit, tot horas propter Deum ad fores Principum sæpe collocares pacate, cur in Christi minimo expectando non æque acquiescas? an censes minus hinc, quam illic repositum in celo coronarum? Quoties tu ad ostium tui pectoris pulsantem Jesum surdis auribus detines, et tamen non vis, ut ille tædio victus recedat? esto igitur et tu talis in minimos ejus, qualem ipsummet in eos fore crederes, si corpore præsens esset. Vita, l. II, c. xiv.

P. Claudius Jaius mira subtilitate tempus in vitæ quotidianæ functiones partiti, mira præscriptum tenebat constantia. Hist. Soc. p. I, l. XII, n. 36.

P. Balthassar Alvarez in iis, quæ officium ejus postulabat, servandis, licet minutissima forent, constantissimus erat, neque deponebat eorum curam, et sollicitudinem usque ad ultimam diem et horam, quo illud perficiebat. Hinc cum ad observationem regulæ Rectoris de visitandis interdum existentibus in oratione, feriam sextam designasset, nullam prætermisit unquam, etiam si plures occupationes haberet, aut nocte præcedenti gravi aliqua molestia fuisset affectus. Idque adeo constanter tenuit, ut ipsa feria sexta, discessit Villagarzia, ut esset Provincialis Toletanus, discessurus, proxime

post orationem, visitari adhuc pro more cubicula. Vita, c. xxiii, § 2.

Joannes Ortunius examen particulare fecit, et defectus adnotavit usque ad diem præcedentem ipsam mortem; semper enim habuit libellum absconditum, in quo notaret eos, in quo imitatus est Sanctum Ignatium, de quo idem scribitur. Vita P. Balth. Alvar., c. xxx.

P. Alphonsus de Barzena cum nocte ad orandum surgeret, crebro eum dæmon extractum e cubili varie cruciabat, et hoc duodecim annis, neque tamen unquam propterea ad orationem surgere intermittebat. Ann. Pervan., 1598, f. 418.

Joannes Berchmannus in rebus semel susceptis vel maxime constantiam amabat; hinc modum dormiendi, quem in Novitiatu ceperat, per totam vitam servabat. Vita, p. I, f. 38.

P. Didacus Sotus quoad in Societate vixit, bis quotidie in se flagello sæviebat; et cilicium continuum ferebat; ita ut octo ante obitum horis inventa sint duo cilicia ferrea adeo constringentia carnes, ut opus esset frangi, quo possent extrahi. ENGELG., Dom. 3 post Pent.

P. Thomas Sanchez, quæ semel in animo conceperat pietatis exercitia, totis quadraginta annis, quibus in Societate vixit, nunquam interrupit, nec quidquam in negotiationis studio remisit. P. Rno, in *Exemplis virt.*, l. VI, c. vii, § 9.

P. Petrus Roderiens per dimidiam horam crudeliter se flagellabat, ea animi constantia, ut eo ipse die, quo obiit, idem temporis spatium in eodem supplicio insumperit. ENGELG., l. c.

Immani triginta annorum tractu, tanta casuum varietate, quanta legitimo prope humani ævi spatio, ignoto apud Sinas capiti, atque avitas religionis conatu ultimo convellere nitenti, accidisse facilis est conjectura, probatam perseverantiam in medium adfert Mattheus Riccius, quem Sinenses suæ fidei Magistrum venerantur. Excellent plane hominem virtus imbuat, atque inter lenta difficillimæ molitionis tædia exercitum roboravit. Etenim cum sibi parum, plerisque aliis nihil apud eam gentem proficere videretur, atque adeo alio migrandi, quo eum paratior atque uberior fructus invitaret, illi fieret potestas, ipse tamen locum, stationemque obtinere decrevit perseverantia incredibili. Itaque perfecit demum

sedendo, quod alii properando impederant; et quod suspicacia inter ingenia, atque inextricabilis lingue ambages quinque propemodum lustra, quasi operam laceret, pauculos ad Christum Jesum Dominum aggregaverat; extrema demum senecta plurimorum genuit, ea virtutum, ac litterarum apud barbaros æstimatione, ut et mortuum amplissimo sepulturæ honore fuerint prosecti, et socios operis ac laborum ejus maxime commendatione receperint. Certissimum igitur est perseverantiam fructus, qui licet sero, nunquam tamen dubio fallit eventu. JOAN. RNO, l. VI, c. vii, n. 2. Ex nostris.

Extra hujus nostræ mortalitatis fines, qui perpetua rerum vicissitudine incurantur, agere videbatur Thomas Sanctius; tam firma illi per omnem ætatem virtus fuit. Vivebat autem ex Ephemeride, in qua singulos per temporum articulos, ac diei cuiusque momenta, quid sibi continuo esset agendum, anxie descriperat. Non ipsi celo, ausim dicere, tam fixæ ac ratæ sunt leges, quam Thomæ suæ illæ virtutum tabulæ, quæ si æræ fuissent, vim tamen temporis fortius non respuissent. Nulla unquam mutavit die, quod semel indexerat sibi. Addebatur ad singula: Id vero non facias, etiamsi dirumparis; invenitque eum supra præpositi tenacem, adeo, ut in cilicio tantum non conceerit. Hoc demum est virtulem colere, quæ cum æternitatis rudimentum sit, quis nisi pessimo consilio, eam temporis accomodet? IB., n. 3.

Joannis Lorinis insigne in studiis perseverantiam, tum spissæ eruditionis ingentia decem volumina testantur, tum nos adolescentes Romæ satis admirari vix potuimus, quum in Bibliotheca stantem, atque laboriosissime studentem statis perpetuo horis, hoc est, majore ac meliore diei parte, nullo feriarum discrimine intueremur. Idem quinquaginta amplius annis ad primum nolæ ictum et lectulo exiliverat, idem divinum missæ Sacrificium ad supremam usque ætatem nullo unquam die atro, nisi quo fieri nefas est, obtulerat; aliaque plurima virtutum decora, quamquam annosus senex ab usque prima retinebat adolescentia; ut non eadem esset ætas, eadem tamen erat virtus, quam nec ferunt anni venientes, nec auferunt recedentes. IB., n. 4.

Jacobum Crucium senem annosissimum

(nam duos supra nonaginta annos natus excessit) proximis hisce annis severitatis pristinae, ac modestiæ retinentissimum vidimus; quam enim a puero in Societate hauserat officiorum rationem, in ea nihil mutavit. Admonitus sæpe ab amicis, ut sibi aliquid indulgeret, posse hoc fieri, nullo virtutis, quam in tuto haberet, nullo exempli damno; quis enim grandævam illam ætatem mollius habendam ignoret? Nolle se deterioribus assuescere, per jocum res ponebat. Itaque præclaro modestiæ edito, relictoque posteris exemplo, dignissimus, ut puer centum propemodum diceretur annorum, in sinu perseverantiæ conquevit. Pari virtute Mantuæ Carpentanorum supremos bene longe vitæ dies transegit Gonzalius, cui et ipsi cum res gestæ, tum ætas quietem, atque otium persuadere poterant, si potuisset virtus pati, verum huic otiosi, atque emori, idem cum sit, Ægydius Gonzalius fruges se consumere nolle, dicebat, posse virtutem ultra consuetam senectutis metam decurrere, quæ sæpius ante adolescentiæ carceres currere incipiat; sui nempe illam juris esse, quæ nihil tempori debeat. *ib.*, n. 7.

Nunnius Ribera, qui suscepta semel animarum procuratore apud Molucas, eo in opere per incensationem ultra discrimina plures jam annos magnis ærumnis perfunctus, salutem illis afferre satagerat, ad extremam usque vitæ horam in opere perseverare voluit, eique immori. Veneno a Barbaris propinato septem supremos vitæ dies, dum conficitur, cum pedibus ingredi non posset, circumferri suorum manibus jussit, et de fide, deque christiænæ vitæ officii disputans, ac sacramentorum ope confirmans, non antea de aliis bene mereri destitit, quam vivere. Ut enim tunc flumina labi, terras que irrigare desinunt, cum in mare prorumpunt, sic virtus, nisi ad Deum venerit, cessatione torpere nescit. *ib.* n. 7.

Ineuntis, abeuntisque anni dies perseverantiæ semper habuit operatos Didacus Martinus; nam sub anni initium operum omnium, quæ sibi faciendâ censeret, syllabum conficere, sub ejusdem exitum, eorum rationem exigere consuevit, tanta perseverantis animi laude, ut his vitæ rationariis omnibus subscribere potuerit: Factum est. O viros vere numeris omnibus absolutos, qui destinata felicissime absolverunt! *ib.*, n. 9.

## EXEMPLA PROFANA.

Agis cum in carcere interrogaretur ab Ephoro, num pœniteret eorum, quæ gessisset, impavide respondit, se nulla tangi pœnitentiæ consilii cum prudentia honestoque conjuncti, etiamsi prævideret, se mortem præmii relaturum loco, sciens, ipsam virtutem satis magnum esse præmium, quicumque sequatur eventus. *Jos. LANG.*, in *Polyanth.* *fol.* 246.

Socrates morti adjudicatus propter since-ram Philosophiæ professionem, ad judices conversus dixit: Equidem vos omnes singulari benevolentia complector, parendum tamen et potius duco Deo immortalis, quam vobis. Itaque quamdiu spirabo, et potero, nunquam Philosophiæ curam abiciam, nec vestri admonendi, moreque meo adhortandi ad virtutem, quemcumque ex vobis nactus fuero. *ib.*

Diogenes cuidam monenti, ut jam senex quiesceret a laboribus, quid, inquit, si in stadio currerem, utrum oporteret jam meam vitam vicinum cursum remittere, an magis intendere. *LAERT.*, l. VI.

Anaxarchus cum a Nicæoreonte Cypri Tyranno in saxo concavo tunderetur, tunde, ait tunde Anaxarchi vasculum, Anaxarchi constantiam non teris. *POLYANTH.*

Xantippe de Socrate marito dicere solebat, quod semper vidisset illum eodem vultu domum revertentem, quo exierat. *ERASMUS*, l. I, *Apop.*

Didacus Menesius ut Mauro semper imminenti occurrere semper promptus esset, humeris contextam loriam nunquam exiit totis duodevicingint annis; ita ut illa instar vestis jam sponte in scruta decideret. *ENG.*, *Dom.* 3 post Pent.

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut venatici canes dum vident unum leporem insequentem, aliquamdiu cum ipso currunt, sed postea lassati revertuntur, solus vero ille, qui videt leporem, pergit, et sequitur, donec eum deprehendat, nec impeditur ab intentione cursus sui propter illos, qui revertuntur, sed

neque de spinis, et vepribus cogitat; ita Christianus, qui Christum quærit, cruci indesinenter intendit, quæ occurrunt, scandala præteritis, donec ad Crucifixum perveniat. *Vit. PP.*, l. V, libel., vii, n. 35.

Sicut is, qui domum ædificavit, vix ullam apud aliquos in fundamento ponendo difficultatem experitur, magnam tamen in ea consumanda, ita ut, quo altius muri assurgunt, eo et major sit labor, graviorque expansa; ita spiritualis ædificii fundamenta incipere, nullam quidem difficultatem habet, omnis autem in eo perficiendo labor est. *S. EPHR.*, *Exhor. ad piet.*

Sicut in agone omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; ita virtutes quidem omnes currunt ad regnum Christi, sed una sola accipit bravium; nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, elemosynæ, obedientia, abstinentia, patientia, sed sola perseverantia coronatur. *ENG.*, *Dom.* 3 post Pent.

Sicut statua basi, ita vir bonus instituto innixus, ab honesto nullatenus discedere debet. *SOCRATES*, *ap. Stob.*, s. 1, *de Prud.*  
Sicut viator ab incepto itinere desistit, donec terminum attingat; ita, qui peregrinum se in hoc mundo esse meminit, non prius a virtutum cessat exercitio, quam terminum suæ peregrinationis, nempe beatitudinem, sit assecutus. *LANG.* in *Polyant.*, f. 891.

Sicut quadratus lapis sex æqualia habens latera, in quocumque horum ceciderit, firmiter et immotus jacet; sic non contrahit justum, quidquid ei acciderit, sed in omni casu immobilis permanebit. *S. ANS.*, in *Sim.*, c. CLXXXIII.

NECESSITAS. — Sicut molestus est discipulus Præceptoris suo, qui perpetuo discit, et nunquam proficit; molestior, qui priora negligit; ita apud Deum intolerabilis est, qui ad pejora semper descendit, et virtutis rudimenta amittit, quæ prius accepit. *Polyanth.*, f. 891.

Sicut, qui adverso flumine lembum trahit, si remisit manus, statim retro labitur, et fluentibus aquis, quo non vult, ducitur; sic humana conditio, si paululum se remisit, discit fragilitatem suam. *S. HIERON.*, l. III, *contra Pelag.*

Sicut gubernator prius laudari non potest, quam in portum navim deduxerit; ita nec homo laudari potest, priusquam in stationem mortis successerit, nam et ipse sui

gubernator est, et jactatur profundero; quamdiu in salo est, tandiu inter naufragia. *S. AMBR.*, l. *de bon. Mort.* c. 1x.

UTILITAS. — Sicut palma vastior est in summitate, quam esse cooperat in radice; ita sæpe Electorum conversio plus finiendo peragitur, quam proponit inchoando, et si trepidius prima inchoat, ferventius extrema consummat. Hinc *Job* dixit: Sicut palma multiplicabo dies. *S. GREG.*, l. XIX, *Mors.* c. XXVI.

Sicut in lusu Damæ rusticus, qui totam aream percurrit, et ad finem tabulæ pervenit, in Regem mutatur, et pro libitu vagatur; ita et homo quivis si aream hujus vitæ constanter feliciter percurrat, in Regem cœli eligitur, ubi plena libertate fruatur. *ANONYM.*

## MOTIVA.

« Exemplum Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis umbra ratio, » ut dicit *S. Jacobus-e.* Beotius quoque ait: Immobilisque manens dat cuncta moveri. *S. LAUR. JUST.*, c. II, *Lig. Vit.*

« Exemplum Sanctorum, » qui in amando, et fruendo Deo omnes sunt fixi, stabiles, et immobiles absque eo, quod unquam per totam æternitatem retrocedere possint: in qua beatitudine, inquit *S. Augustinus* quod semel adipiscitur, semper tenetur *S.* quoque *Bernardus* de celestibus Paradisi incolis ait: Incessanter laudant Creatorem suum. *MANSI.*, tr. LXXX, *dis.* v, n. 24.

« Exemplum sæcularium: » Videmus enim per quotidianam experientiam, quod avari in habitis divitiis non quiescant, sed eas magis, magisque semper accumulunt; carnales in voluptatibus carnalibus sectandis insatiabiles existant; ambrosios, tametsi ad dignitates, et honores capacitate et meritis suis superiores ascenderint, iis tamen minime acquiescant, sed ad gradus altiores se vehere continuo studio satagant. Erubescat igitur anima conversa ad Deum (verba sunt sancti Bernardi) minori affectu sectari justitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Sed audite differentiam, quam sanctus et mellifluus Doctor hæc in re assignat; ita enim ibidem subdit: Est enim quoque causa valde dissimilis, stipendia quippe peccati mors: fructus autem spiritus

vita æterna. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem ire, et minori studio salutis acquirere, quam perditionis augmentum. Nonne ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiam et tepiditatis? Pudeat certe spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri. S. BERN., ep. 1, c. xli.

« Exemplum irrationabilium creaturarum, » nam cœlestia corpora, ex quo a Deo creata sunt, continuo peragunt cursus suos. Idem aquæ fontium et fluminum servant, quæ continue fluunt. Naturæ arborum et plantarum semper continuant, quoadusque perveniant ad debitum fructum complementum. II PETR., III. « Omnia perseverant ab initio creaturæ. » Et : dicit ECCLESIASTICUS : « Opera, quæ fecit Deus, perseverant; » Unde Propheta ait : « Ordinatione tua perseverat dies. » S. AUGUST., de Vet. conviv., tr. xx.

« Necessitas : » cum nemo salvus esse possit, nisi qui in finem usque perseveraverit.

« Æquitas : » cum enim Deus æque semper, et constanter in nos liberalis sit, an non æquum erit, ut nos quoque constanter illum diligamus, eique serviamus.

« Utilitas : » quod enim majus præmium optari potest, quam audire olim illud Christi elogium. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis regnum, ut commendatis et libatis super mensam meam in regno meo, et sedatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel LUC., xxviii.

« Dignitas : » Quid enim magis honorificum, quam Deo similem fieri? Certe hanc clausulam omnis perfectionis, vocat idem Sanctus pro qua Christus oravit, dicens : Pater volo ut, sicut ego et tu unum sumus, et ita et ipsi in nobis unum sint. S. BERN., de Vit. Solit., col. xxvi.

« Jucunditas : » Quid enim jucundius; quam dicere in morte posse cum S. Paulo : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi ; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. II TIM., iv, 7.

« Facilitas : » Quam vel ipsi filii sæculi, levissimis plerumque præmiis lecti, et inter gravissima quoque obstacula perseverantes demonstrant. Potuerunt ergo isti et istæ, ob tam parva luca et commoda, et tu non poteris ob infinitas majora ?

## MEDIA.

« Exemplum Christi : » Nam ut recte S. Bernardus advertit, a Christo dicti sumus Christiani ; nonne igitur ea via, qua Christus ambulavit, ambulare debemus ; qui non solum ad redemptionem nostram consummandam de cœlo in terram descendit, verum etiam, ut nobis Christianis in operibus nostris velut norma, speculum, et exemplar imitandum ob oculos versaretur ; Unde S. Paulus exhortatur Hebræos, dicens : « Curramus ad propositum nobis certamem, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum. » Quasi diceret ; ne in stadio virtutis currentes aberremus, vel defatigemur, vivæ considerationis oculum in Salvatorem dirigamus, qui nullum unquam opus inchoavit, quod non pariter ad ultimam suam perfectionem usque perduxerit. Ac proinde priusquam in cruce exspiraret, in celebri illo sermone, quem præcedentis vesperi crepusculo ad Apostolos suos peroravit, his æternum Patrem suum verbis est affatus : « Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. » Idem medium etiam Rupertus Abbas suasit, dicens : Ejusdem perseverantiæ, quam persuadet, dicens : « Esto fidelis usque ad mortem, » in semetipso exemplum præbuit, « factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » Quando in crucis patibulo suspensus hærebat, obstinatissimi Hebræi hisce verbis ei acclamantur ; « Descendat nunc de cruce, et credimus ei. » Quam vero ob causam de cruce descendere noluit, maxime, quando id faciendo omnes Hebræos ad finem amplectendam inducere poterat? Numquid de cœlo eo sine descenderat, ut se Filium Dei esse manifestaret : Ut credat mundus ; quia tu me misisti? Numquid specialiter Judæis protestatus fuerat dicendo : « Non sum misus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel? » Enim vero ad hoc, ut in eum crederent, per triginta tres annos inter ipsos cœlestem potius quam humanam vitam duxerat, Evangelium prædicarat, patraverat miracula, Ecclesiam fundarat, instituerat Sacramenta ; ob eundem quoque finem præcedenti vespere se captivum abduci permiserat, sanguinem sudarat, amarissimumque passionis calicem lubens acceptarat ; et tamen nunc, quando se ipsum credere velle

protestantur, dummodo de cruce descendent, nullum eis præbet auditum, et haud secus, ac si surdus esset, eorum petitionibus ne verbum quidem respondit. Quid ad hæc dicemus? Sanctus Bernardus in serm. 1 de Resurrectione, ita scribit : sed dicunt : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere? » Immo vero, si descenderit, neminem salvum faciet. Cum enim salvus esse non possit, nisi qui perseveravit usque in finem, quanto minus poterit esse Salvator. Alios ergo salvos fecit, nam salvatione, cum sit salus, ipse non indiget. Operatur salutem nostram, nec eandem deesse patitur Sacrificio vespertino, hostiæ salutari. Novit, inique, quid cogites. Non tibi dabit occasionem surripientiæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. RUPERTUS, lib. II, in Ap., t. II.

« Oratio : » Hinc S. Philippus Nerius suos assidue exhortatur, ut dominum continue rogarent pro doni perseverantiæ concessionem, ac proinde laudabilem, illam inductum consuetudinem, quotidie circa crepusculum dicendi quique Pater et quique Ave Maria, ut Deus iis permotus, constantem in ejus servitio perseverantiam clementer concederet. Egregium institutum! Cum enim omne donum optimum atque perfectum (quale vel maxime est donum perseverantiæ) desursum sit, descendens a Patre luminum, merito instanter a Deo peti debet. Vita S. Ph. Ner., l. II, c. xxxi.

« Propositorum renovatio crebra : » Hinc iterum S. Philippus Nerius suos monebat, ut quotidie optima quæque renovarent proposita, nec unquam in tentationibus, quæ contra illa a dæmone patiuntur, a spe deciderent, quoniam Deus, quotiescumque hominem vult insigni aliqua decorare virtute, vitium eum prius oppugnari oppositis permittit. Decebat amplius, spiritum devotionis initio abunde cœlestis imperiri, sed postea Dominum nonnumquam fingere se longius ire, ac proinde in tali casu hominem constantem esse debere. Ibd.

« Pauca sibi proponere, nec supra vires assumere negotia. » Hanc ipsam ob causam S. Philippus Nerius asserebat, non facile intermittenda esse pietatis opera, quæ unusquisque sibi præscripserit, ideoque minus prudenter agere eos, qui spiritualibus exercitationibus plus nimio se onerant. Suos igitur monebat, ut modicam sibi rerum spiritualium provinciam diligerent : eam-

que semel susceptam nonnumquam deponerent : quoniam si dæmon vel semel ad quidpiam intermittendum hominem inducat, eundem iterum ac tertio ad idem inducere non desistit; quo tandem prorsus omnia evanescent. Quam ob causam sæpenumero illud suis repetebat : « Nulla dies sine lineâ. Idem medium sapienter suasit Seneca, dicens : Æstimanda sunt ipsa, quæ aggredimur, et vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus, comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. Necessè est, opprimant onera, quæ ferenti majora sunt. Quædam præterea non tam magna negotia sunt, quam secunda, multumque negotiorum ferunt, et hæc restringenda. SENECA, l. de Tranq.

« Aliorum ruinas considerare : » Uti S. Hieronymus suasit dicens : « Aliorum ruina exempla iustorum sunt. » Quantumvis enim Tertullianus zelosissimus fuerit fidei Catholicae professor; quantacumque etiam Origines penes eandem Ecclesiam sibi merita comparavit, prout de utroque tum ex eorum libris, pietate et doctrina plenis, tum ex Annalibus Ecclesiasticis abunde constat; attamen ambo in hæresim turpiter sunt prolapsi; unde deducitur, quanti referat illud observare documentum Apostolicum : « Cum metu et tremore salutem vestram operimini. » Seneca moralis ait : « Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia. S. HIER., in Ezech., c. xxvi, n. 15.

« Amor Dei purus : » Sicut enim ignis tandem non deficit, quamdiu materiam habet; ita amor Dei, numquam extinguitur, cum materiam illius, scilicet Deus, deficere non possit.

« B. Virginem quotidianis, licet parvis, obsequiis sibi demereri : hujus enim amor, uti prædestinationis, ita perseverantiæ quoque obtinendæ signum probabile jure merito existimatur.

« Eleemosynæ tam defunctis, quam vivis exhibite, constans frequentatio : » de hac enim vere scripsit S. Hieronymus, non meminisse, se mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eo quod multos habeat inaccessores, impossibile autem sit, multorum preces non exaudiri.

« Quotidie de novo incipere, sequæ ad perseverantiam exstimulare : » ita enim S. Antonius suis suasit, dum morti proximus ad eos dixit : « Ego quidem, filii,